Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Vnde beatus ambrosius in ymno sancte epiphanie
mirabiliter declarauit. splendidissima lu
ce uerborum. Quod autem dixit meri. sinceri
tatem designat. quod semper purum. semper
est limpidum. Nam refectos homines ad
gloriam uirtutis. non ad uicium ebrietatis ad
ducit. sicut in alio psalmo dicit. Et poculum
tuum inebrians quam preclarum est. Plenus
est mixto. utique domini calix. Vnde quamuis
iugiter bibatur numquam tamen expenditur.
Quod autem dixit mixto. nouum uetusque
significat testamentum que utraque permixta
animarum efficiunt saluberrimam potio
nem. Iudei enim uinum biberunt sed non per
mixtum. quia noui testamenti noluerunt
recipere sospitatem. Itemque manichei non bi
berunt uinum mixtum. quia nouum testa
mentum ex parte recipientes. ueteris legis
sacramenta ausu temerario respuerunt.
Addidit. Et inclinauit ex hoc in hoc. Hic
duos populos absolute significat iudeorum
scilicet et gentium. quoniam ex ore tulit non
credentium iudeorum. quod potandum
conuersis populis inclinauit. Felix et secu
ra refectio. ab illo calicem salutis accipere.
qui semper nouit profutura prestare. Hic modus
locutionis apertius est in litteris sacris. quam in
scripturis secularibus ut arbitror uix preualeat
inueniri. Verumtamen fex eius non est exina
nita bibent ex eo omnes peccatores terre.
Feces dicuntur reliquie uini. considentes
in densissimam crassitatem. ad quas solet
perueniri quando liquor ille superior probatur
expensus. Sed qui de anterius plenum cali
cem dixit. iuste hic negauit fecem eius
exinanitam. ad quam peruenire non potuit.
quoniam cunctis potantibus plenitudo non deficit.
Feces enim hic non sordes. sed ima illa atque

ultima uini debemus accipere. Nam quomodo fe
ces habere potuit. quod merum atque purum
ante declarauit. Sed ut adustam fecem cog
nosceres minime fuisse peruentum. redit
ad poculum plenum dicens. Bibent ex eo omnes
peccatores terre. Hic significat quod sepe diximus.
iudeos in fine seculi cum aliis peccatoribus
de isto calice bibituros. quando credere me
ruerint. seque ecclesie catholice adunata fide coniunxerint.
Omnes enim de illa partem percipient. qui credere domino prestante
meruerint. Multi enim [—] peccatorum in sua ob
stinatione mansuri sunt. Ego autem in seculum
gaudebo. cantabo deo iacob. Gaudebo et can
tabo. christus dicit de membris suis. qui gaudet dum
ab eis gaudetur. qui cantat deo iacob. dum
psalmodiam dicit ecclesia. Quecumque enim membra
bene gerunt. hec sicut sepe dictum est. capiti ratio
nabiliter applicantur. Et omnia cornua peccatorum
confringam et exaltabuntur cornua iusti. Ecce
uox iudicis. ecce uox omnipotentis insonuit. Nam
qui ante psallebat in membris suis. modo con
fringit cornua peccatoris. Nulla quippe
iudicatione. omnis potestas humiliabitur im
piorum et confracti dispereunt. qui hic mag
nis sublimitatibus eriguntur. Respiciant
ergo superbi quam sit hic turpe mutilum pecus.
et erubescant se inde proferre unde futura
illis deformitas cognoscatur imminere. Sequitur.
Et exaltabuntur cornua iusti. Que figura dicitur
catacresis. id est abusio. quotiens aliena rerum nomina
non habentibus commodantur. Cornua enim iusti.
munera sunt futuri iudicii. que reuera firmiter
eriguntur. quoniam in eterna pulchritudine permanebunt.
Peccatorum hic cornua uidemus. que ibi non erunt.
Iustorum hic non cernimus. que ibi perpetuo mu
nere conceduntur. Ne dubites eximie deco
randa que hic cernis destituta. Quod maius
precium habere poterit decus tuum quam ut
ille eam hic assumpserit deus cuncta beatitudo